

1498 Astæ cum equitatu continuerat, Bretolam oppidum, quod quidem illis in finibus fratres duo in Ludovici fidem recepti obtinebant, capit. Ludovicus per legatum ea de re certiores Patres facit, eorumque consilium exquirat. Patres molesta sibi esse, quæ intellexissent, legato responderunt: *Belli enim initium se se factum videre: ita se tamen Ludovici prudentia confidere, ut omnibus illum incommodis remedia celeriter adhibiturum esse non dubitent, præsertim cum is tantum auri possideat, quantum paulo ante ipsemet ejus legatus exploratum sibi esse palam dixerit.* Legatis in Galliam profectis rex proposuit, constitutum sibi esse, Mediolani regnum, quod sibi hæreditatis jure deberetur, ab Ludovico armis repetere: cupere se rempublicam ejus belli sociam habere. Illi se ad Senatum ea de re literas daturos dixerunt, eique, quod Senatus jussisset, renunciaturos. Illis autem in literis legati adscripserunt, nihil prætermittere Ludovicum, per amicos regiones orando, pollicendo, ut se in Regis amicitiam insinuet. Patres, re complures dies agitata, tametsi viderent periculosum esse, maximum amplissimumque regem sibi finitimum in Italiam adducere, tamen, propterea quod existimabant neminem eo in regno perniciosiorem civitati esse posse, quam is erat, quem permultos annos habuissent; verebanturque, si regis amicitiam repudiarent, ne se is cum Ludovico in reipublicæ fraudem conjungeret, quam certe societatem Ludovicus nullis non conditionibus esset accepturus, ut bellum ab se averteret: ei rei animum adhibuerunt. Accedebat ad superiores causas etiam hæc, quod nonnihil recentes ac perpetuæ in rempublicam Ludovici contumeliæ, oblata prope a Diis immortalibus facultate, civium animos ad vindictam extendam incitabant. nonnullos etiam augendi fines imperii cupiditas, justo præsertim nomine, justisque de causis, incendebat: ut sunt plerumque homines natura proclinati ad ea propaganda, quæ possident. Itaque literas ad legatos dant: regi respondeant, secum eo consensuros, bellumque una suscepturos atque gesturos, modo is ipso-

Fœdus cum
Ludovico
XII. Gal-
liæ rege,
sancitum.